

Conciones, Siue Conceptvs Theologici Ac Praedicabiles, In Omnes Totivs Anni Dominicas

Opvs Novvm Figvris, Allegoriis, Similibvs Ex Sacris profanisq[ue]
Scriptoribus pleniſimum, cum occurrentium fidei controuersiarum
tractatione.

De quatuor Hominum nouissimis - Qvi Qvidem Sacri Adventvs Qvatvor
Hebdomadis accommodati: Sed & Concionvm Fvnebrivm materiam
abunde suppeditant

**Besse, Pierre de
Coloniae Agrippinae, 1620**

Feria 3. post Dom. 3. De ipsis inferni tormentis agit, miserimoq[ue]
damnatorum statu, quorum quidam grauius cruciabuntur, quam ipsi
dæmones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56226](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-56226)

Eccles.7. locum descendere? in tam maledicta terra viuere? terra, inquam, quam nec oriens mediusve, cadensve Phœbus adire potest, in qua nulla temporum indicia aut dimensiones horarum, in qua non nisi tenebrae videntur, non nisi gemitus & vulnus audiuntur, non nisi mephitis & odor terribilis percipitur: terra, inquam, adeo à cœlo, Deo, Angelis, omnibusque creaturis remota. Quis, inquam, non reformidet in mundi fundo, in abyso è qua egredi non liceat, atque sub omnium creaturarum pedibus viuere? Absit, est enim miserum, horrendum, intolerabile. Quam obrem insensata & demens peccatorum tuarum fatigae, iter aliud ingredere, tandem resipisce, viam illam latam desere, quæ ad interitum dicit, Recordare nouissima, ac præsertim quæ ad infernum spectant, & in aeternum non peccabis.

Et est quam verissimum, Domine metuende & tremende, eum qui hæc in mente habuerit: hoc oculos & cogitationes intendet, nihil umquam aduerius maiestatem tuam commissurum, locique tam horrendi assidue meditationem nimium quantum ad omnes peccandi occasionses rescindendas sufficere. Si enim exilio metus, ac peregrinæ regionis incolatus, suppliciorumque terror, rebelles & seditiones intra lineam contrineant, & principibus obedire cogant: quid an non inferni apprehensio, exilio perpetui & quidem in terra deserta & in aquosa, locoque incognito & barbato formido, tantorum deinde cruciatuum, tormentorum, suppliciorumque cogitatio, peccatorem impellant, ac quodammodo cogant, ut diuinam maiestatem colat, adoret, reuereatur, legibus eius obtemperet, voluntati obsecundet, eiusque iustitiam & ultionem reformider? Nullus sane te umquam Domine offendere præsumat, si cogiteret quid sit infernus; si cogiteret lacum esse flamas & sulphur euaporantem, puteum perpetuis ignibus austuantem, abyssum densissimum & palpabilis tenebris obsitam, quam sol radiis nunquam illustrat, in qua nullæ apparent stellæ, quam nulla voluptas, sed luctus assiduus & sempiternus horror inhabitat; esse denique locum omnium locorum infimum & ab-

iectissimum, & haud procul à terræ centro constitutum. Tu autem gratiam nobis praesta Domine, ut eundem semper per oculis habeamus, eiusque horrorem metuamus, horrentes abominemur, abominantes recte ad cœlestem patriam contendamus, in qua omnis nostra, & quidem perfæctissima beatitudine sita est, quam clargiri nobis dignetur, qui in sæculorum sæcula viuit & dominatur Deus. AMEN.

FERIA TERTIA.

DE POENIS INFERNI.

Partitio.

- I. De paenit ab irato iam Deo illatis generatim.
- II. De variis damnatorum paenit.
- III. De duabus aliis paenit singularibus.
- IV. De paenitum diversitate pro delictorum qualitate.

Memorare nouissima tua, & præsertim supplicia, quæ in inferno subeunda sunt, & in aeternum non peccabis. Eccles.7.

FIGURA.

VIRTVTVM omnium, ac præsertim patientiæ speculum, Iob, ærumnas suas lob.10. deplorans, terram quandam barbarem & inanem depingit, quam terræ miseriæ vocat & tenebratum, operatum mortis caligine, quam umbra mortis, & nullus ordo, sed semper innotescit horror ac confusione chaos, calamitatumque iliades inhabitant. Hanc cum ipse mecum perpendo, non possum quin mihi persuadeam, sanctissimum illum virum infernalem terram describere, eiusque suppliciorum grauitatem, ac tormentorum quæ impij in illa subeunt acerbitatem, ob oculos ponere voluisse. Illa enim vere, terra miseria & tenebrarum, & mortis caligine operata appellari potest, in qua lumen nunquam effundit, ubi nullus dies, aut horarum indicia sunt. Terra, in qua non nisi mera nox, ama-

Aa 2 ritudo

ritudo & acerbitas, nonnisi tormenta & supplicia. Terra, qua nulla in mundo infelior aut detestabilior, & cuius supplicia prænique sunt infinita: quas hodie singillatim describere, vobisque ad oculum demonstrare conabor, auxiliantibus nimisimum sanctissimo Paracclito, & gloriola Deipara Maria, quam proinde salutatione, quam sanctissimus Spiritus per Angelum pronuntiauit, compellimus;

AVE MARIA.

I.

Ipsa nobis fides, Sacrae literæ, ratioque naturalis demonstrant, quo Deus iustus datur; necessarium esse credere, in altero mundo locum esse in quo, impios post mortem excruciet, suamque illos iustitiam, quam interea dum viuerent ante oculos non habuere, faciat experiri. Testatur id Vates regius dicens: *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressui mei, quia Zealati super iniquos: pacem peccatorum videns; quia non est respectus mori eorum, & firmamentum in plaga eorum: in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos superbìa. Ecce ipsi peccatores & abundantes in sacculo obtinuerunt diuitias: extimabam, ut cognoscerem hoc, labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimiis eorum.* Quasi diceret, Cogitationes meæ, quæ sunt veluti pedes animæ, quibus per omnia discurrit, & ambulat, pene commota sunt & concussæ, dum peccatorum vestigia consecutor, & abiisdem induitor, ut in eorum partes concedam, cum videam quanta pace rerumque omnium affluentia perfruantur. Quod vero in primis me permouebat, erat, quod viderem eos etiam diutius aliis viuere, & si qua interdum eos premeret aduersitas, candem noua superuenientia prosperitate, auferri, *Non est firmamentum in plaga eorum.* Adhæc exemplis illos esse ab omnibus calamitatibus, quibus communiter homines obnoxij sunt; sed diuitiarum, honorum, deliciarumque torrentes illis ultra quam abundantissime affluere. Hæc omnia dum mecum tacitus voluerem, sperans aliquam mehuiusce fœ-

licitatis tandem ansam inuestigare posse; frustra fui, donec & arcana prouidentiæ tuæ adyta ingressus, vidi quanta eosdem post alteram vitam manerent supplicia, tormenta, calamitates. Tuac nimurum aduerti, nullum corum à tormentis immunem aut exemptum esse, teque eosdem, licet hic in pace agant, deliciis abundant, insolentius se ferant, & cornua extollant, grauissime pertinurum.

Quam dextre scopum tetigisti, ô Vates, quam Christiane hic philosophatus es! nam ita reuera fæs res haber, non minus enim principis alicuius prudentia ac sapientia in castigandis nefariis ac sceleratis, quam in proborum bene meritorumque compensatione reluet. Quod ipsum sanctissimus Propheta Iob de Deo nostro viuis est insinuasse; qui nullum scilicet delictum relinquat imputatum, nullumque opus bonum, quod nō amplissima mercede compenset: *Verebar omnia opera mea, sciens quia non parceret delinqenti:* quippe qui iam inde à mundi exordio ad delictorum castigationem infernum constitueris. Quo etiam trahere possumus verba illa Psalmistæ: *Misericordiam & iude-Exod. 100. cium cantabo tibi; illam scilicet ostendis intereadum hic viuimus, hoc vero post mortem.*

Id ipsum & è plurimis aliis Scripturæ locis manifestum redditur, & præsertim è Psalm. 93. in quo cum secundum vulgatam legatur: *Qui corripit gentes, non arguit.* Chaldæus Paraphrastes legendum monuit: *An possibile est, quod ille, qui dedit legem populo suo, cum peccauerit, non arguet eos?* E quibus omnibus efficitur, nihil omnino impunitum remanere, & impiorum delicta, si hac in vita digna castigatione non plectantur, grauiora durioraque in altera flagella promereri, & acerbissime castiganda: Ideoque ingens diuina illius bonitatis clementia que argumentum est, quando aliquos hoc in mundo corripit; quoniam fit hoc quam levissime & nonnisi obiter, at in altero seuerissime ac sine ullo benignitatis respectu castigaturus est.

Quando virga Moysis in serpentem com-Exod. 4. mutataam

Psal. 12.
Psal. 88.

Psal. 2.
Apoc. 2.

Exod. 4.

Isai. 10.

mutatam legimus, veram correptionis huius figuram videmus: per virgam enim designari eandem certissimum est. Vnde Psalmographus: *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Item alibi: *Visitabo in virga iniqutates eorum.* Hanc porro virgam Deus, quamdiu haec vita ducitur, in filiorum suorum correptione instar patrisfamilias aliquius adhibet; sed in altero mundo eadem in serpentem, (id est, in seueritatem vigoremque) conuertetur. Mutationem hanc & metamorphosim dilucidius explicatam vide te. vultis, audite. Psalmistam dicentem: *Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas signili confringere eos.* Nam ferus enim coluber est virga ferrea: Ita namque quidam saeculi nostri auctor, hanc comparationem instituit: *Quid per virgam, inquit, nisi dulcis correctio Domini designatur, sed hac virga in draconem versitur, quando leuiter correcti emendare se nolentes, in altero mundo granissime puniuntur.* Hoc quidem in Aegypto apertissime visum est.

Ac multo deinde post in Iudea aliud haud omnino dissimile, Ieremiæ Prophetæ à Domino demonstratum est. Videlicet namque virgam vigilantem, & illam deinde in ollam succensam conuersam. Quo aliud non designatur, quam Deum in hoc mundo non nisi virga correctionis, vt at in altero ferrum & ignem usurpatum, eiusque iustitiam quam modo est, multo graviores fore. Ictus enim quos nunc infligit, non nisi flagellorum ac virgarum sunt, vt vbi eisdem peccatores fenerint, vita emendationem instituant, atque oportune resipiscant.

Solet adhære, virga ad excutiendum est vestibus puluerem fordesque deregendas adhiberi; hoc & facit Deus, cum nos correctionis sue virga corripit, hominum namque eadem conscientias emundat, peccatorum venialium puluerem excutit, omnesque vitæ huius fordes auferit. Docuit me hoc Sacra Scriptura, nam in Isaia legitur Dominus tyrannos, quos ad peccata populis castiganda immitrebat, virgæ nomine, & quidem virgæ furoris, & baculi indignationis, nunquam passæ, *V& Assur, virga furoris mei, & bacu-*

lus ipse est, in manu eius indignatio mea. Per Asarem hunc, Sennacherib Assyriorum regem intellexit, quo ad populum Iudaicum corrigerendum puniendumque vltus est: porro, ut paterfamilias virgam, castigatione peracta, igni iniciit, ita ipse punientem puniuit, & ignibus æternis addixit.

Dicendum est igitur, vita huius correctionem correctionemque non nisi virgam esse, sed alterius, ignem & fornacem astuan tem. Fœlices igitur ter & amplius, quos hac in vita virgis percuti contigerit, quo ab æterna castigatione & alterius saeculi penitentie liberi esse queant. Hinc supplex Dominum orabat sanctissimus Augustinus, se ut hic, quo in æternum parceret, flagellaret: *O Domine, hic seca, hic vre, hic non parcas, ut in aeternum parcas.* Item Manasses Rex: *Domine, remitte in orationib; & ne simul perdas me cum iniquitatibus ne eius meis, neg, in aeternum reserves malis mihi.* Nil igitur sunt flagella quæ hac in vita infliguntur, at quæ in altero mundo infliguntur, magna sunt & metuenda: illa in momento pertransiunt, hac in sempiternum durant, & duratura sunt, tamque horreda sunt: & enormia, ut si vel semel eadem in mente haberemus, numquam Dominum gloriam offenderemus: dicit enim Sapiens: *Recorda reuolnissima tua, & in aeternum non peccabis.* Eccles. 7.

De hisce flagellis hodiernam concessionem instituam, quam in duo membra diuidam, primo declarabo, quam varia & multiplicia flagella ac supplicia sint quæ damnati apud inferos sustineant; altero vero disputabo, num supplicia hæc æqualia sint, & num omnes ad eadem tormenta subeunda condemnati. Quæ duo, si solita me dicentem benevolientia attentioneque prosequamini, vobis apertissime magna que cum utilitate declarabo.

Principio igitur, quemadmodum Beati tudo, teste Boëtio, *status est omnium bonorum aggregatione perfectus:* ita damnatio status est omnium malorum aggregatione perfectus. Et ut Paulus de æterna beatitudine scripsit: *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparauit Deus diligentibus se:* ita, mutatis terminis, de infernalibus suppliciis dicere paro dicere: *Nec oculus*

II.

Aa 3. vidit,

*vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascen-
dit, quæ preparauit Deus offenditibus se.*

*nis interminabilibus oppletus, omni mo-
mento proponatur, Bibent omnes peccatoris
terre.*

Luc. 16.

Porro ipsa damuotorum fors adeo misera & deploranda est, tormentaque quæ patiuntur adeo horrenda & enormia, ut ipse Epulo Abraham enixe rogarit, Lazarum ut ad fratres mitteret, quo coldem, ne in illa supplicia deuenirent, commonefaceret. Ipse quoque Psalmographus cum varia damuotorum supplicia recensisset, nec eorum facile finem reperire posset, tandem concludēs ait, *omnia hæc nonnisi aliquam eorum par-
tem, ac velut specimen esse. Fluat super pecca-
tores laqueos: ignis, sulphur, & spiritus procella-
rum pars calicis eorum. Dicit laqueos, quia variis apud inferos compedes sunt & vincula, variæ catenæ & pedicæ, quibus qui semel ir-
retius & impeditus fuerit, difficulter admou-
dum sese expediet; nominat etiam ignem,* quia flamma voracissima per omnia illuc grallabitur, quæque peccatores ad usque olla & penitiores medullas torrebit; Item *sul-
phur,* quia fætor illic intolerabilis & terribilis pœdor per omnia diffusus est: *spiritus quoque procellarum,* quia in infernis illis regiomibus, non secus atque in Oceano aliquo turbulentissimo, procellæ, tempestates, ciu- latus, fluctus, sauitiae, furia aquilonares, rabiæ, ac desperatio deserviunt. Atque hæc omnia nonnisi pars sunt calicis eorum, & velut aliquod summae atrocitatis calamitatis indicium.

Apoc. 16.

Quid ais Propheta? aliquemne adhuc li- quorem in mundo hoc reperire est, quem calici huic infundamus? sunt profecto & alij, sunt, inquam, præter ignes, sulphureos fætores, procellasque in primis vermis con- scientiæ, horrenda dæmonum visio, umbras infernalium horror, aliaque supplicia & numero infinita & atrocitate singularia. Arque hæc omnia adimplent calicem illum amarum damnationis perpetuæ, de quo in Apocalypsi mentio: *Babylon ciuitas illa magna venit in memoriam Dei, date illi calicem suæ eius.* Babylon hæc, id est, confusio, typus est damuotorum, qui in carcerebus illis tartareis inter ignes & flammæ confusi sunt, quibus diuini furoris calix, tormentis & pœ-

*O calicem amarum erit scil. calix vini me-
ri plenus mixto, vini meracissimi merorum
tormentorum, nulla consolationis & spei a-
qua dilutus: varia tamen in eodem suppli-
cia mixta erunt, non enim unicum illic sup-
plicium singuli patientur, sed varia ac mul-
tiplicia. Hinc de diuite Epulone scriptum est,
cum esset in tormentis, ut hinc colligi queat, variis apud inferos damuotorum animas
tormentis excruciant. Nam præterquæ quod
igne acerrimo torquuntur, dæmonum quo-
que sauitiae, crudelitati, atrocitatique ex-
positæ sunt, qui eadem affliger, laera-
bunt, diuexabunt, & noctes atque dies sine
ulla intermissione, aut requie excruciantur.
Hinc de iisdem locutus Salomon ait: *Sunt Ecclesiæ 39. spiritus, id est, dæmones, qui ad vindictæ creati
sunt, & in furore suo confirmaverunt flagella
sua.**

Nouum adhæc dolorem invenient tene- Damnati
brae; viuent enim illic in perpetuis & qui- in perpe-
dem densissimis tenebris & caligine obclu- tis tene-
rissima, nullum illic adest lumen, sed perpe- bris ver-
tuos horror & umbroso densitas. Hinc in Sa- fabuntur.
cris litteris legimus: *Et usque in eternum non Psal. 48.
videbit lumen;* item alio loco: *Impij in tenebris 2. Reg.
conticcent, & quidem tenebris adeo spissis
& obscuris, ut nec solem, nec lunam, nec stel-
las visuri sint: idque propter continuum il-
lum fumum, qui ex ignibus illis æternis, qua-
si de ardentiissima quadam fornace exstua-
bit. De quo in Apocalypsi: *Et ascendit fumus Apoc. 9.
putei, sicut fumus fornacis magna: & obse-
curus est sol & aer de fumo putei.* At nondum hic
finis.*

Alia namque supplicia recenset Sapiens: *Proverbi. 19.
describit enim diabolus malleis & vectibus
accinctos, quibus damuotorum ossa & late-
ra communiant: Parata sunt, inquit, deriso-
ribus iudicia, & mallei percutientes stultorum
corporibus; quorum ultimorum verborum
loco in Hebreico legitur: Percussiones dorso
stultorum. Sub quorum verborum inuolu-
cris demonstratur, dæmones, instar carnif-
icum, in damnatos sauituros, eorumquo
capita & renes malleis & clavis contu-
ros.*

ros. O supplicia intolerabilia! ô tormenta insupportabilia!

Psal. 103.
Psal. 97.

Quæ cum Psaltes attentius perpenderet ad peccatores, conuersus exclamat, Dic sciant peccatores à terra, & iniquitatem non sint. Non postular eosdē hic deficere quoad substantiam, sed quoad delicta, ut nimis peccare definant, & diuinam maiestatem ad iracundiam prouocare; vnde efficere vult, tantæ attentam horum suppliciorum meditationem efficacia esse, ut nullus, qui eadem mente voluat, diuinam bonitatem amplius posset offendere. Atq; hoc est, quod & alio loco ait, sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei, omnia delicta tā atrocibus suppliciis castigantur; itaque à via iniqutatis declinent.

In confess.
Theo par. 3

Vtinam cor vestrum, Auditores, hodier na die instar ceræ emolliatur, liquefacat, ac diffusat, non quidem ad conspectum & radios solis, sed ad calorem ignis infernali um, ad ardorem ollæ illius succensæ: vtinam hodie peccatis valedicatis, vitam in melius commutatis, vtinam terribilibus auditis suppliciis sancto quodam timore percellamini! Et merito quidem non enim aliud Ioa. Cassianus ad facili sui peccatores conuertendos remedium adhibet! Quis ergo inquit, fidelium hac audiens & talia sciens non contremiscat? Digitus ignem modicum tangere horremus, & quomodo non formidamus in ignis rugum ligatu maxibus & pedibus coniici?

Hom. 5, in
Iad. Cor.
cap. 2.

Iubar illud Ecclesiæ Orientalis Chrysostomus idipsum sapient pro concione dicebat; Quando ingredimur carcerem regium, & uidemus ibi alios catena oneratos, alios mortuos fame, alios squalidos & pallidos, alios in tenebris clausos, nescientes quando sit dies vel nox, horremus: quid ergo erit videre carcere illum Dei, ubi tot captivi, tot tormenta, &c. Merito igitur his visis vel auditis percelli debetis: quamobrem hæc semper animo insculpta gerite; alia proferam e quibus de eiusdem miseria dijudicare poteritis.

Eodem loco quo supra

Idem qui supra Cassianus, Presbyter Maf silensis, magni olim Chrysostomi discipulus, qui sub Imp. Honorio & Theodosio Iu niore in Ecclesia floruit, miserrimam damnatorum conditionem eorumque tormenta &

cruciatus depingens, quasi nullis eadem exprimi verbis possent exclamat: Sed dicere quis valeat, quia impus & male viventibus tormenta sunt preparata in ipso enim continuo mortis loco, qui infernum appellatur, quid aliud nisi ignis, flamma, perseverans tribulatio, & perpetua pœna, atque infinita totius mali calamitas esse possit.

Multo adhuc terribilis est, quod Iobo lob. 20. Propheta Sophar Naamathites respondens ait, Hoc scio & principio, ex quo postus est homo super terram, quod *laws* impiorum brevis sit, & gaudium hypocrita ad instar puncti: luet quæ fecit omnia, nee tamen consumetur: iuxta multitudinem admitionum suarum, sic & sustinebit, astuabit, & omnis dolor irruet super eum, deuorabit eum ignis qui non succenditur. O verba horrenda, quæ vel feruum cor emolliant! Omnia scilicet suppliciorum, tormentorumque genera eos diuexabunt: dolor capitis, dolor dentium, dolor renum, stomachi commotio, conuulsiones iliorum, cerebri concussio, angina incurabilis, suffusiones, parotides, chiragra, gangrena, aliisque dolores infiniti. Ibi dolores vi parturientis, ait David; Dolores parturientis venient, ait Osce. Quo & Dominus in Euangeliō respexit; cum enim de signis iudicium præcessuris egisset, mox subnectit, Hac autem omnia initia sunt dolorum; & in Marco, Initium dolorum hac: perinde ac si dixisset, Videre solem obscuratum, lunam deliquum patientem, stellas cœlo cadentes, audire tonitrua & fragores in aere, terræ motus astidios, bestiarum vulnus, videre exarcentes herbas, homines eiulantes, totum orbem denique incendio percuntem, non nisi initia & præludia dolorum infernalium sunt.

Moyses cum olim Dei iussu populo comminaretur, his cum verbis allocutus est, Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis. Dic veritatem Moyses, an non sub hisce comminationibus inferni supplicia delineare voluisti? Illic enim Deus merito indignatus omnia malorum genera congregat, ut impios & damnatos castiget, inque eos omnes furoris sui sagittas eiaculetur. Illic quippe omnia supplicia congregantur, & unum velut in locum colliguntur, illic pecca-

CONCIO TERTIA

192

peccatores velut scopus erunt, in quem omnia diuinæ iustitiae tela torquebuntur.

Psal. 31. Quam bene igitur Propheta ait, *Multa flagella peccatoris* (id est omnia, ut & in loco illo Euangelii, *Multi sunt vocati*, id est, omnes) peccator namque cum semel tattareis carceribus addictus fuerit, omnibus omnino flagellis castigabitur, ac proinde omnia dolorum tormentorumque genera sustinebit. Idem dixit & alibi, *Dolores inferni circumdederunt me*, dicere vult, Impios in tartareis illis sedibus, variis doloribus opprimendos, & extrema supplicia passuros. Paulus Apostolus cum pluribus hac de re egisset, velut epiphonemate rem concudens tandem ait, *Horrendum est incidere in manus Dei viventis*, dicit, *manus*, & non manum, ut hinc ostenderet, Deum in hoc mundo non nisi una ferire manu, sed in altero utramque usurparum: & si Iob ynica tantum percussus manu, homines simul & Angelos in sui auxilium aduocari, dicens, *Miseremini me*, saltem vos amici mei; quid futurum est, quando utraque manus saeuit. An non igitur merito dixit Apostolus? *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.*

Ceterum constat Deum hoc in mundo non nisi una manu percutere, testem habeo Daudem, *Posuisti super me manum tuam*: & alibi: *Grauata est super me manus tua*, & quidem sinistra: quo respexit sponsa illa in Cantico, *Laya eius sub capite meo*, & *dextra illius amplexabitur me*, id est. Quamdiu in hac vita dego, dilectus meus sinistra me sua sustiner; & quamuis aliquem interdum istum infligat, dextra tamen sua me stringit & amplexatur. At in altera vita, utraque percutit manu, & praesertim dextra: hinc in Psalm. legitimus, *sicut sagitta in manu potentis*, & alibi, *Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis*, *dextra tua inueniat omnes qui te oderunt*. Quo in loco nemo dicat, Prophetam orasse, sed enim minus præfigurasse tormenta quæ impia apud inferos iustinebunt: simulque animaduertere singulos velim, ac diligenter horum verborum, *Inueniatur manus*, sensum attendere; scilicet Deum, quamdiu in fragili hac vita agimus, per penitentiam facile, hominem vero non nisi difficillime ab eodem, quo iuste in eum saeuat, inueniri. Arque ideo reuocate in memoriam, quomodo Deus Adamum primum illum præuaricatorem in paradiso querens, dixit, *Adam ubies?* Atin altera è contra non amplius inueniri potest, sed eius manus, id est, potentia & iustitia, fine illo labore ac difficultate, impios reperit. Merito igitur Propheta dixit, *Inuenitur manus tua inimicis tuis*; & post eum alius, *Quarite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum, dum prope est*: Deus enim quamdiu hic uiuimus, nobis admodum vicinus est, facilimeque inueniri potest, sed post mortem longissime à nobis recedit, neque illa penitentia bonisque operibus inuenitur, nec in illius amplius misericordia sperandum est: (tunc scilicet manus dissolutas habebit) tunc Sampsonis illius manus vinculis eximentur, quo Philisthaeos, id est, impios, percutiat: atque insuper armatae erunt, unde Psaltes, *Gloria ancipites in manibus eius.*

Propheta Iob, ut coepit materiam prosequamus, noua adhuc penitentia genera describit, *Transibunt*, inquit, *ab aqua niuum ad ignem niuum*, ex ardore ad frigus. Insintare vult impias illas animas, postquam quatuor aut quinque annorum millibus ignibus illis acerrimis cõflagrabit, tanto deinde tempore acerrimum frigus perpessuras, itaque de dolore in dolorem, de pena in penam a liam transiuras; idque in omnem æternitatem sine illa leuatinis aut relaxations spe. Verbis Iob quam optime respondeat Euangelista, cum fletus & stridoris dentium meminit, quorum primum de igne & flamma, alterum de frigore & glacie intelligentem.

Nec sunt haec lachrimæ de corporis lachrymis ac fletu, qualiter quotidie edimus, intelligenda, quid sunt enim aliud lacrymæ quam humoris resolutio & quidam deflatus? qui in damnatis non potest esse perpetuus, nullum enim cibum sumunt, ac proinde nullum humorem colligunt; atque ita omne finitum tandem consumitur. Deinde statim à iudicio peracto, primi mobilis, quod omnium rerum principium & vita

vita est, motus cessabit, ideoque nulla amplius generatio, corruptio, aut corruptibilis commutatio in rerum natura dabitur: sed erunt nihilominus vertigo quædam capitis, & terribilis oculorum suffusio, ut è verbis supra allatis etiam demonstrari potest. Nam impiorū corpora non modo exterius affligētur, verum etiam interius & à reb. insitis, idq; iuxta bonas ac prauas animæ inclinationes.

Quidquid sit, certissimum est infelices illi los ac miseros ex igne in aquam, è calore in glaciem, è caminis in stagna detrudendos. O horrenda commutatio & pœnarum renouatio! & quod omnium grauissimum est, nemo eorum miserebitur, sed homines simul & Angeli in eorum interitu lœtabuntur, imo & lo-
Psal. 17. gemaiores & acerbiores illis cruciatus exoprabunt. Testatur id vates regius, Da illus secundum opera eorum, & secundum nequitiam adiumentorum ipsorum: secundum opera eorum tribue eū, redde retributionem eorum ip̄sis. Ita quidem Christus Iudæi sui crucifixoribus imprecatus videatur, sed mystice eadē verba de Sanctis, damnationē & interitum imp̄piis exprobantibus, intelligi queunt, dicentibus, assidue, Vlscere Domine peccatores, castiga iam impios secundum opera eorum, pœnamque quam peccando promeruerunt, inflige, vnde & alibi, Latabitur iustus cum viserit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris.

Quid sitane ò Angeli, itane Sancti in aliorum calamitate ridebit? an nescitis, afflito non esse dandam afflictionem? Et ecce, damnatis hisce nouum cruciatum arcessitis. Idumæi cum viderent Babylonios in Ierosolymitanos grassantes, omnia circumquaque deuastantes, tantum absuit, ut eos ad clementiam moderationemq; adhortarentur, vt suaferint etiam in lapides sœuire, & omnia funditus conuellere & cuertere. Vnde vates hæc omni præsagiens dixit, Memor esto filiorum Edom, qui dicunt, Exinanite, exinanite, usque ad fundamenum in ea. Idipsum de vobis, ò glorioli spiritus animæque cœlestes, dicare possumus: tantum enim aberit, ut damatorum vos capiat miseratio, ut Deum ipsum vindicem illum'aeerrimum extimulaturi fitis, ut tormenta & cruciatus adaugeat. Sancti
Psal. 136. Tom. 4. Bess. Aduent.

quippe cum divinam essentiāa contemplantur, eadem simul opera eiusdem voluntatem vident, videntēque eidem fesc adaptant, adeo ut nihil velint aut nolint, quam quod illa velit aut nolit. Ita quoque dicendum est damnatorum eos supplicia, Deumque iusto furore accensum contemplari, & ideo fieri, nulla ut erga eos compassionē tangantur, sed in illorum interitu cruciatibus que exultent ac iubilent. Quod exemplo Pa-
LUC. 16. triis Abraham confirmat Magister sententiarum, qui nullis Epulonis precibus flecti, nullis obseruationibus ad compassionem poterat excitari, adeo ut ne vel aquæ guttam eidem in ardoris leuamen date voluerit.

Euangelista cum Iudæorum crudelitatem ferociamque quam erga vngesitum Patris exercuerant, describerent, aiunt, eosdem Christo in crucē acto insultasse, exprobrafse, improprietorū contumeliarumq; plaustra in eum congesisse: Praterentes autem Matthe. 27. blasphemabant eum, mouentes capita sua & dicentes, Vah qui destruis templum Dei, quin & ipsis per Prophetam de hac eorum impietate conquestus est, Omnes videntes me deriserunt me. Erat profecto insignis illorum crudelitatis argumentum, æterni Patris filium in tormentis constitutum ridere, subsannare, & exhibilare. Idipsum de cœlestibus illis spiritibus dicere possumus, risueros nimis & subsannatos, quando damnatos in crucis actos, fornacibus ardentibus immersos, super ardentissimas prunas extenso, in flamma sepultos, in rotis denique tortos conspiciunt. Ipse quoque Dominus viadex in maioriis eorum lœtabitur & ridebit: Tu Domine Psal. 21. deridebis eos, ò dulcem crudelitatem! ò inhumanitatem vere iustum, & ex quo demonstrata!

Castitatis exemplum Susanna, cum ad sup- DAN. 13. plicum adulterii insimulata raperetur, omnes qui eandem nouerant, lachrymabantur, eiisque calamitati condolebant: at quando damnati, variorum adulteriorum rei, in ignem æternū, ad vincula, compedes, & cruces aliaq; supplicia rapientur, nullus omnino eorum malis ad misericordiam flectetur. Adeo ut illud Prophetæ merito usurpare queant, sustinui qui simul contristaretur, & non fuit, Psal. 68.
Bb C

& qui consolaretur, & non inueni. Atque hoc omniū miseriarum malorumq; maximum est. Iam vero vidēdum restat, quomodo supplicia illa singulis imposta sint, & dispiciendum, num omnes eadem patiantur, quod initio facturos nos promiseramus.

IV.

Dicendum est igitur, non eadem omnes Non eodem modo in tartarea illa regione supplicia perpeti, aut eōs modo eodem singulis modo cruciari, sed vnum apud in- quemq;, iuxta numerum ac granitatem sclerum, castigari: qui enim magis enormia criminia cōmiserere, grauius quoq; cruciabun- tur. Hoc nempe ad diuinā iustitiam spectat,

Psal. 10.

qua tam in castigandis improbis, quam in remunerandis iustis eluceat necesse est: id que iuxta Psalmistā sententiam, *Iustus Do- minus, & in damnatione impiorum, & in re- muneratione Sanctorum, & iusti as dixit, aquila ē videt uultus eum*, Perinde ac si dixisset, Iam quinq; annorum millia euolura sūt, ex quo summus ille Deus cœlorum terraque dominium tenuit, omnia nutu suo direxit ac moderatus est, ex quo totius orbis homines iudicavit, ex quo tot decreta & sententias pronuntiavit. Iudicavit quippe Angelos & Adami posteritatem, sententiā venturi diluvij tulit, condēnauit Sodomitas, Ägyptios submersiōnē & abyssi adjudicavit, aliaque iudi- cia tulit: nemo tamen umquam exstīt, qui cūdem iniustitiā coarguat, aut etiam in mi- nimo iniquum fuisse audeat confiteri. Nam iustitia Domini recta, & de eodem alibi scrip- tum est, *Dilexisti iustitiam, & odisti iniqui- tam Adeo ut in hac impiorum cōdemnatio ne iustitia illius imprimis eluceat.*

At non reministi parabolā illius Eu- gelice, in qua vineæ cultores cum patrefamilias expostulabant, quod eodem omnes do- natos stipendio dimitteret? Audite eorū que- relas, *H: nouissima hora uenerunt: & pars illos nobis fecisti, qui portauimus pondus dies & astus.* Quanto maiori cum ratione duorum vel triū tantum criminum rei cum Deo expo- stulare possent, si tam grauiā supplicia pate- rentur, quam iij qui infinitis se criminib. ob- strinxissent. Erit igitur cruciatū ac tormentorum diuersitas, ac singuli diuersimode cru- ciabuntur.

Ita namque sensit magnus Gregor. expli-

cans enim verba illa Job, *ubi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat*, ait, *Quomodo in Lib. 9. mor. suppliciis ordo non erit, dum damnatorum quam- cap. 47. que iuxta modū criminis retributio sequitur ul- tōnis*. Erit quidē hac in re ordo & distinctio, ac in cæteris mera confusio & chaos. Graui- ter namque torquebuntur fornicatores, gra- uius adulteri, ac grauiissime sacrilegi, incitatu- ois, atque omnium maxime Sodomitæ. Non erit igitur eadem in singulis suppliciorum ratio.

Hic bene olim Salomon, *Potentes potenter. Sap. 6. tormenta patiuntur, & fortibus fortier insta- crūtatio*. Nam quemadmodum peccata in- ter se distincta sunt, ita quoque supplicia illi- dem debita diues sunt: neq; enim dominus & seruus, Princeps & subditus eodem tor- quebuntur modo: sed sic ut peccata regum ac Principum peccatis populi grauiorant, sic etiam eorum damnatio grauior & acerbior erit. De meretrice illa Babylonica etiam scriptum legimus, *Quantum glorificauit je- Apoc. 18. in delictis fuit, tantum date illi tormentum & glu- atum*. Per Babylonem hanc, cui haec mina in- tentantur, intelligendæ sunt peccatorū ani- mæ: quæ cum in abyssos illas tartareas deci- derint, tantum dolorum ac cruciarum tor- lerant, quaurum hic prius deliciarum ac vo- luptatis habuerunt. Et hæc omnia quam in- stissime. Figuras hue facientes produca- mus.

Præcepit olim Ezechiel Prophetæ Deus, *Ezech. 5. vt nouacula comas & barbam raderet, ac se- gmenta & pilos trutinæ impositos ponderaret, inque tres eosdem partes diuiderer, pri- mariam in medio ciuitatis combureret, alteram gladio in eiusdem circuitu concideret, tertiam vero in ventos dispergeret, & gla- dium manu vibraret. Quodnam hoc an- gma est Audiōres: litteraliter quidem de Iu- dæorum calamitate ac miseria intelligi pos- tet, qui corrasiac patria sua Babylonico gla- dio cieci, diuinæ vindictæ trutinam subie- runt: pars igne consumpta, pars ferro neci- data, pars in captiuitatem abducta, gladium ceruicibus imminentem habens, sed tro- pologice hic supplictorum, quæ apud ia- feros damnati subeunt, diuersitas desi- gnatur, qui instar crinum quisquiliarum- que*

que superfluarum quadam die è mundi huius capite, summi iudicis gladio (de quo in Psalm. 7. mentio est, *Gladium suum vibravit.*) resecti, eiusque iustitiae bilanci impositi, partim igni in medio magnè illius ciuitatis Plutoniam tradentur, partim in minutis particulas concidentur, & ferro necabuntur, partim etiam in captiuitatis æternique exilio auras dispergentur, nudum semper mucronem ante oculos conspicantes. An non igitur omnia hæc ad amissim materiae nostræ quadrant? an non hinc manifestum redditur, non eadem omnium damnatorum esse supplicia?

Melius id ipsum Dominus in Euangelio cum de zizaniis ageret, demonstravit; dicit enim patrem familias messoribus dixisse:

Colligite primum zizania, & ligate ea in fasciculos ad comburendum. Designare scilicet vult, peccatores, qui vere zizania nuncupari possunt, in mundi huius agro confitos, tempore messis, id est, iudicij generalis die collectum iri, & in fasciculos colligandos, magnos scilicet cum magnis, paruos cum paruis, ut ita omnes pariter tandem in ignem coniiciatur, quo secundum delictorum maleficiorumq; grauitatem exurantur. Ita nempe locum hunc interpretatur Gregorius Pontifex: Fa-

sciculos ad comburendum, inquit, ligare, est eos qui aeterno igni tradendisunt, pares paribus sociale, ut quos similes culpa inquinat, par etiam pœna constringat. An non hoc ex mente nostra est interpretari?

Huc quoque visus est respexisse Gentium Doctor Paulus, cum ait, varia in magna familia vala reperiiri, alia nimirum aurea, alia argentea, alia lignea, & figlina, illa quidem in honorem & decus, hæc vero in contumeliam & dedecus, & pro eorum varietate varia iisdem assignata esse loca. Ad huius imitatione dicere possumus, vniuersum hunc terrarum orbem, instar palatij cuiusdam amplissimi, variis vasis repletum esse, his quidem aureis & argenteis, i. iustis illis autem ligneis & fibilibus, i. peccatoribus: hos esse ad gloriam, illos ad contumeliam & opprobrium sempiternum destinatos; deinde varia his in cœlesti aula, & illis apud inferos in regno Plutonio loca sedesq; assignatas esse. Praecepit o-

lim Dominus Noachus, vt plurimas in Arca *Gen. 6.* mansunculas institueret, vt vnumquodq; in Figura, iis animal iuxta naturæ sua præscriptum diuerteretur, aues nimirum cum aibus, lupi cum lupis, leones cum leonibus, atq; ita singula cum sui similibus; vt quemadmodum inter se specie non discrepabant, ita quoque loco & sedibus non different, sed essent velut contubernalia. Mundus hic, Auditores, vera quedam arca dicendus est, sed omni animalium genere refertissimus; quibus omnibus sapiens ille Noë Deus diuersas mansiones ac receptacula dedit; in superiori quidem parte, i. cœlo, animas illas subtiliores ac meritorum pennis in sublime elatas, Sæcos, inquam, & iustos, commorati voluit: in locis vero humilioribus, i. apud inferos, peccatores, bruta illa animalia & naturæ stupidioris, collocauit. Fecit adhac in duobus hisce locis etiam alias distinctiones vt illi pro meritorum, hi pro delictorum magnitudine & numero, mercedem reciperent. Hinc fortasse factum, vt, cum in Sacris litteris sedium illarum subterranearum carcerisque Plutonij mentio incidit, plurali plerumque numero, Inferorum, id fiat: vt & in Symbolo Apostolorum, descendit ad inferos: quo hinc manifestum fieret, plurimas apud manes habitaciones esse, & carcerem illum plurima habere receptacula, in quibus tū damnati, tum diaconi vinculis constricti sint.

Thomas ille Aquinas, omnium ingeniorum facile summum, omniumq; Theologorum corypheus, apertissime quoque, vt omnia, demonstrat, s. quemadmodum varijs in cœlo gloriae gradus sunt, & nō eadem singulorum beatitudo ac felicitas, iuxta verba illa Domini: *In domo Patrum mei mansiones multæ* *Ioan. 14.* sunt, idq; propter meritorum virtutumque differentiam, ita quoq; apud inferos plurima tormentorum suppliciorumq; genera, propter delictorum varietatem ac delictum repertiri. Testis accedat Magnus ille Gregorius: *Lib. 9. Mor.* *Licit, inquit, gehenna curia una sit, non tamen c. 47. & su- cundos una eademq; qualitate succedit.* quod per Enang. & egregia quadam similitudine confirmatur.

Nam quemadmodum in aestate Syrio stet. Simile, la omnia adurente, & per terras grallante, omnes quidem cuadem Solem, sed non eundem

B b 2 calo-

calorem sentiunt, aut non tantum ille quantum ille, propter diuersam corporum dispositionem, fudat. Adeo ut qui teneriores, & delicatores, citius & vehementius fudent, quam robusti & sanguinei, aulici quoque citius quam rustici aut opifices, mulieres delicias assuetae, prius quam rurales aut mulieribus assuetae: Ita, inquit magnus ille doctor, *dannatis est una gehenna qua afficit, & tamen non una omnes qualitate comburit: quia quod hic agit dispar ualitudo corporum, hoc ille exhibet dispar causam eritorum.* O sententiam & conceptum tanto dignum Pontifice! o similitudinem scite adaptatam. Ecce & aliam.

Aliud.

Videmus quotidiana experientia, igne accesso non eodem modo paleas, lignum, ferrum aduri aut consumi, nec eodem in tria hæc modo flammarum agere; paleas namque quam celerrime absunt, lignum maiori cū vehementia: ferrum denique nonnisi summa vi: in primis calor quidam mediocris est, in secundo vehementior, in tertio autem vehementissimus. Ad eundem modum, fide & rationibus certissimum est, ignem quidem infernalem nonnisi unicum esse, & tamen non eodem omnes damnatos modo adurere, sed hos leuiter, illos grauius, alios vero grauissime; homicida enim vehementer quidem ardorem sentiet, sicarius vehementiorem, at vehementissimum ac propemodum intollerabilem qui parricidalis manus sanguine cruentauit.

Comparationi meæ suffragatur doctissimus Ephrem, dicens: *Sicut sunt peccatorum differentia, ita sunt & cruciatuum varietates: aliter enim cruciantur adulter, aliter fornicator, aliter homicida.* Nec in ipsis quidem tribunali bus ciuilibus, eadē omnes malefici supplicia subeunt, neve omnes in crucem aguntur: his enim crura & ossa ferro comminuuntur, illi capite truncantur, his carenti ferro carnes aduruntur, illos flamma in fauillas redigit, alios denique equi in diuersa agitati dilaniant, atque aliis alijs suppliciis afficiuntur, quod ipsum & de diuino tribunal sentendum est.

*De vera
funit. c. 3.*

Proferat & hic suum symbolum Bernardus, audiamus quid sentiat: *luxta qualitatem culpa, paenam sustinebit unusquisque gehenna, &*

sim lu culpa rei sui similibus iungentur cruciantur. Omnes scilicet ventri & gulæ dediti cum diuire Epulone vnum in locum compingentur, homicidae cum Caino, auari & proditores cum Iuda Iscariora, superbi & contumaces cum Chore, Dathan & Abiron, elati deinde cum diabolis, ut quos habuerent in peccando velut exemplum & paradigma, apud inferos habeant socios & sodales.

E quibus omnibus efficitur, eos grauissimos apud manes cruciatibus subditos esse, quia plura & grauiora hie peccata commiserunt. Et sane si dæmones vna obnoxiam, vel sole cogitatione concepta, tam acerbis cruciatibus affliguntur: quid imminere sibi sperent, qui innumeris Deum delictis ad iracundiam prouocare? Si luxco ille Euangeli- LUG. 10. cus, quod epularetur splendide, & purpureo quodiac ab yesso indueretur, medias inter flamas sepultus est: quæ supplicia, Deum immortalem! manent eos, qui tot quadragesimarum ieiunia violarunt, luxum, libidinem, & ingluviem tantopere consecutati sunt? an non grauiores illis cruciatus expectandi?

O horrendum ac vere miserum! Miserum Erunt in
inferno, Caino, diuite epulone, ipsis quoq; dæ-
monibus maiores & acerbiores paenas pati.
qui magis exercentur q
Qui haec audiendo non expallescant: ita tam
men se se res habet; nam sicuti in celo ho-
minum aliqui angelos in gloria & beatitudi-
ne superabunt: ita quoque apud inferos re-
perientur, qui dæmonas in suppliciis, tormentis,
doloribusque antecellent. o cruciatus in-
tolerabiles!

Quamobrem peccatores servante Domino in Psal. 2. timore, & exultate ei cum tremore. Domino, inquam, cuius carceres sunt infernales illi specus, quiq; tot ad castigandos impios parata habet supplicia: *Apprehendite, itaque, disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereat is de via iusta, cum excarserit in brevi ira eius.* Expergiscimini tandem aliquando cum tam horrenda auribus vestris verba insonuerint: Recordamini nouissima vestra, ac praesertim Ecclesi. 7. paenas infernales, & in æternum non peccabitis. Si enim Niniuitæ, auditio urbis exterminio & clade & mortis nuntio, in cinere & lorpibus penitentiam egreditur, faccio membra

bra contexerint, triduanam per totam ciuitatem etiam animantibus ieiunium indexerint: quid vos facere par est peccatores, cum vos ad mortem & quidem aeternam, suppliciaque intolerabilia propemodum condemnatos videris.

2. Reg. 21. Si Achab, impius ille Rex, qui idolis immolabat, & Prophetas Dei ad necem persequebatur, auditus Eliae Propheta comminatione, familie destructione, & filiorum interitu, vestimenta laceravit, cilicium induit, ieiunio carnem maceravit, dormiuit in sacco, seque coram Domino humiliavit; quid vos, o insensati peccatores, facere aequum est, cum certi sitis, tam graue vobis exitium, tam acerba supplicia, mortem adhac sempiternam imminere? an non haec cilicium, cineres, laehrymas, austerritatemque promere si videntur?

Iona. 1. Propheta Ionas, dinini precepti contemptor, cum in nauis sterteret, interea du tempestate ceteri iactarentur, nautae accedentes, dixerunt: *Quid tu somno deprimeri? Surge & inuoca Deum tuum, si forte cogitet Deus de nobis, & non pereamus.* Iisdem vos ipse hodie verbis compello peccatores, *Quid cogitatis? quid agitis?* nauis in qua nauigamus, vita huius cymba est, mare ipse mundus, tempestas qua iactamus, & qua nobis imminet, diuinæ iustitiae furor & indignatio, Ionas ille dormiens ipse peccator peccatis indormiens, contumax, rebellis, diuinorumq; mandatorum contemptor, qui fluctuum, tempestatum, omniumque procellarum rabiem irritans, deque eisdem nihilum sollicitus, sterrit securus, & in utramque aurem sine ullo metu ac formidine indormit, sed fungar ipse hodie vice naucleri, vosque omnes a somno excitare conabor vociferans, & alta voce inclamans, sustollite in altum o-

culos peccatores, quod somno sepulti iaceatis: expurgescimini tandem aliquando, ad Deum configuite, eundem vobis propitium reddite, quo a naufragio tuti & immunes fitis: expurgescimini, inquam, & recordamini nouissima vestra, atque ita ab omnibus vos peccatis contingitis.

Et sane tam altum dormimus Domine, tam graui lethargo oppressi sumus, ut nisi ipse manum admoucas, nosque gratia tua excites, nunquam expurgisci, aut oculos aperire possemus, imo discrimen, ne in peccatis mori contingat, adiremus. Illumina ergo oculos, ne inquam obdormiamus in morte, aurem nobis vellica, tu qui medicus nostres, Saluator, conditor, Deus, & omnia, excita corda nostra, ut semper tormenta haec, supplicia, doloresque illos perennes ante oculos habeamus; supplicia, inquam, illa diversa & intolerabilia, modo frigoris intensissimi, modo ignis vehementissimi, modo gelidi stagni, modo ardantis camini rabiei: supplicia adhac quæ iuxta viuis cuiusque delicta augebuntur vel minuentur. Atque haec omnia Domine, adeo terribilia & horrida, ut qui eadem assidue mente versaret, te nunquam offendere, tuisque preceptis aduerteri præsumeret; sed perpetuo in timore & anxietate, quæ initium omnis sapientia est, viueret, atque ita in mandatorum tuorum obseruatione se exerceret, quæ certissima ad salutem via, ac beatitudinis mater est, cuius nos participes redendant Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. AMEN.

